



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Epistola III. Urbani Papae VI. Ad Capitvlvm Et Clervm Leodiensem. Laudat eum, quod Clementem antipapam esse defendat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

Laudat eum, quod Clementem antipapam esse defendat.

*Vrbanus episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis, capitulo & clero ciuitatis Leodiensis salutem & apostolicam benedictionem.*

CVM ineffabili mentis iubilo Altissimo referimus gratias quas nostra potest infirmitas, ex eo quod, sicut a fide dignis accepimus, largitor omnium bonorum Deus mentium uestrarum oculos illustrauit, vt declinatis laqueis, quos per mundum, pro dolor, antichristus quasi vndique iecit, per veritatis tramitem ambuletis. Pro quo prudentiam uestram dignis in Domino laudibus attolentes, deuotionem uestram rogamus per viscera misericordiae Iesu Christi, quatenus speciem fortitudinis assumentes, literas, monita, vel mandata illius hæresiarchæ, Roberti videlicet, olim basilicæ duodecim apostolorum presbyteri cardinalis, qui Clementem papam VII. ausu temerario nominari se fecit, excelsis & intrepidis animis respuatis, eiusque virulentis & pestilentissimis suggestionibus, quibus, sicut intelleximus, impressionem tumultumque popularem fuisse in canonica electione nostra mendose prætendit, nullatenus intendatis. Quinimo tantum orthodoxæ fidei feruidi zelatores præfatum hæresiarcham, eiusque sectatores qui zizaniam in agro dominico & cuncto populo Christiano serere non pauescunt, eorumque legatos & nuntios, quacumque dignitate præfulgeant, capere seu capi facere, ac alias persequi toto mentis desiderio iuxta uestrarum virium suppetentiam studeatis: proinde præter nostram & apostolicæ sedis gratiam, & humanae laudis præconia, & æternæ vitæ præmia meritori. Deo enim gratias, quod aduersariorum nostrorum, qui aduersus nos velut testes iniqui insurrexerunt, & in quibus mentita est iniquitas, malitia manifestissime detecta est, ac nostra innocentia nostraque iustitia adeo notoria cunctis patet, quod nulla potest tergiuersatione fuscari.

Testis nobis ille est qui nihil ignorat, quod si sensissemus nos per ostium non intrasse, per horæ spatium non fuisset ausi in Petri cathedra residere. Sed quia, sicut est toti mundo notorium, & non malitia hostium nostrorum, imo Christi, mentis eorum oculos obcæcasset, ipsum hoc etiam faterentur, prout alias ore & literis confessi sunt, per euidentia facta, manifesta que signa notissimum iam fecerunt, quod per viam sancti Spiritus ad sustinendum vniuersalis ecclesiæ onera nostram imbecillitatem Dominus elegerat. Ideoque deposita formidine, fortitudinis thoracem induentes, decreuimus pro defensione veritatis & fidei catholicæ, sponsæque nostræ, quibuscumque periculis & persecutionibus obiicere corpus nostrum, in illo qui in se sperantes non deserit, confidentes quod ecclesiam suam nunquam derelinquet, sicut nec aliquando dereliquit, licet eam quandoque permittat persecutionum fluctibus agitari. Iam etenim procellulæ quæ super cacumina montium se videbantur extollere, incipiunt quietari. Nam post nobis nuper missam de celo victoriam, qua Britones & Vascones alii que stipendiarii & præfati hæresiarchæ sequaces conflicti fuerunt, post quam deditionem castri sancti Angeli de vrbe eadem die non sine miraculo secutam, dicti filii Neapolitani zelo deuotionis accensi, prædictum hæresiarcham antipapam & catholicæ fidei subuersorem de ciuitate Neapolitanensi, in qua sperabat in pestilentia cathedra residere, cum magno opprobrio fugauerunt. Ioanna quoque olim regina Sicilia, quæ ab illis pestilentissimis viris seducta, per erroris tramitem ambulabat, abiurato errore huiusmodi, nos credit & tenet verum Iesu Christi vicarium & cælestis clauigeri successorem: de die autem in diem eiusdem Ioannæ solennes nuntios expectamus. Die quoque tertia præsentis mensis Iordanis de Vrsinis de Mareno, qui nos & dilectos filios populum Romanum cum auxilio sequacium antichristi multipliciter molestabat, illo faciente, in cuius ditione cuncta sunt posita, in spiritu humilitatis rediit ad obedientiam nostram & ecclesiæ prælibatæ. Super iis autem vobis latius explicandis, dilectis filiis Ioanni de Dunghem & Ioanni Leonis, magistris in artibus & vtroque iure peritis, harum latoribus

velitis fidem indubiam adhibere. Datum Romæ apud sanctum Petrum secundo Idus Iunii, pontificatus nostri anno secundo.

CONCILIVM SALTZBURGENSE

IN CAUSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ  
tempore Pilgrini archiepiscopi celebratum,  
anno Domini MCCCLXXXVI.  
sub Urbano papa VI.

ANNO  
CHRISTI  
1386.

TITVLI CAPITVLORVM.

- |  |   |
|--|---|
| I. De modo dicendi horas canonicas.  | & eorum rerum, ab impositionibus secularium dominorum.                                    |
| II. De absolutionibus impendis.  | X. Contra vilipendentes sententias excommunicationis.                                     |
| III. De abuentibus indulgentiis a superioribus super absolutionibus concessis.       | XI. De publicatione constitutionis Bonifacii VIII. contra recipientes padagia a clericis. |
| IV. De modo absolutionis impendende in casibus dubitabilibus.                        | XII. De occupatoribus beneficiorum & eorum bonorum.                                       |
| V. De habitu clericorum.   | XIII. De usurariis & eorum penis.   |
| VI. De eodem, & differentia habitus maiorum ab inferioribus.                         | XIV. Ne clerici conueniantur coram secularibus iudicibus.                                 |
| VII. De munda conseruatione rerum & vasorum diuino cultui deputatorum.               | XV. Ne ignoti presbyteri admittantur ad diuina.   |
| VIII. Ne mendicantes admittantur sine dicecesanorum licentia & testimonio literarum. | XVI. De notariis publicis.  |
| IX. De immunitate clericorum,  | XVII. Vt episcopi, prelati & rectores habeant questiones sigillatim.                      |

HÆC SVNT INSTITVTA DOMINI  
Pilgrini archiepiscopi Saltzburgerensis, apostolicæ sedis legati,  
publicata in prouinciali Concilio Saltzburgerensi, anno Domini  
MCCCLXXXVI.

P R Æ F A T I O.

**A**d laudem & honorem ac gloriam nominis Dei, ac salutem dominici gregis nobis commissi: Nos Pilgrinus Dei gratia archiepiscopus Saltzburgerensis ecclesiæ, apostolicæ sedis legatus, Ioannes Gurzensis, Fridericus Chiemenfis, & Ioannes Secouiensis, ecclesiarum episcopi,